

Summa Concionum.

benedicebant Domino. Multis nempe canticis Dei gloriam constabantur, cui omnem victoriam laudem referebant.

2. Debora Prophetissa, & Barac Duces Israelitarum adversus Sisaram principem Regis Jabin valde potentem multisque viribus dimicantur, eumque vicerunt, ejusque copiosum exercitum jugulatis ejus militibus destruxerunt; ipsamque Sisaram profugum occidit Jabel uxor Haber. Tunc pro tanta victoria cum gratiarum actione Deum laudant. *Cecinerunt Debora, & Barac filius Abinoem in illo die, &c. Judic. 5. n. 1.* Solebant olim Imperatores Romani parva victoria arcus triumphales erigere in eorum laudem, ac monumentum, tanquam gloriam victoriae sibi adscribentes. Hæc fecerunt præ eorum superbia. At Debora, & Barac divina fide illustrati, cognoscentes omne donum esse à Deo, loco trophæi, ac fornix triumphalis, Deo ut victoriae auctori laudes canunt. Sic D. Chrysof. in Pl. 95. *Debora, ait, prostratis in bello hostibus, pro maximo quoque trophæo erexit hymnum victorialem.* Quod in Theodosio Imperatore maxime commendat D. Ambr. Cum post partam victoriam per manus Sacerdotum Deo gratiarum actiones offerret. Sic ait Epist. 58. *Alii Imperatores in commemorationem victoriae arcus triumphales parari jubent, aut alia insignia triumphorum, clementia tua hostiam Deo parat, oblationem & gratiarum actionem per Sacerdotes Deo celebrari desiderat.*

3. Cum mansuetissimus Jesus Rex sedens in asino Jerosolymam intraret, notat D. Matth. 21. n. 8. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem cadebant ramos de arboribus, & sternerant in via.* Quid significat quod hujusmodi homines ramos palmarum, ac vestimenta sua ante pedes Jesu sternerant, per hoc denotabant magnos illos Patres antiquos, ac Prophetas, qui palmas, ac spolia suarum victoriarum uni Jesu tanquam principi ac auctori totius trophæi offerrebant. *Vict. ad c. 4. Apoc. Alii, ait, præcisis ramis palmarum viam sternerant, alii tunicas suas subiciebant: duos scilicet populos ostendentes, unam scilicet Patrum, & aliam Prophetarum magnorum virorum, qui quascumque habebant Palmas victoriarum contra peccatum, victori omnium Christo sub pedibus jacebant.* Expende illud *Magnorum virorum.* Magni enim viri est, solum Deum victoriae auctorem agnoscere.

4. *In hymnis, & confessionibus benedicebant Domino.* Eum recognoscentes, totius victoriae principem, & largitorem, qui tam feliciter eis fuit in auxilium, quod solum ab ipso sperabant, & in quo totam suam spem reposuerant, & inde victores effecti sunt. Sic David pugnaturus contra Goliath, ait ad Saulem; *Domine, qui eripuit me de manu leonis, & de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistinorum hujus, 1. Reg. 17. n. 37.* indeque descensus in arenam cum Golia, prius Saulem arma deponit, quia spem suam non in viribus, ac armis, sed in solo Deo reposuerat. Unde ad Gigantem pro Davide sic loquitur. D. Basil. Sel. orat. 15. *Corpore præsentem, ait, & thorace ego vero immortalis defensione munior: sicutum obiectat, verum hostem à Deo oppugnatum non*

metuo ego, cum eo manus confero; cui res est cum Deo. Utpote cum auxilio ejus, cui ego confido.

5. Rigidum, & apertum bellum cum movet Satanus contra Job, & cum ipse spoliatus ab omnibus suis bonis, ac filii sederet in sterquilino, tunc Satanus convocat omnes amicos, & choros, ut ipsum comitentur in certamine, *Audientes autem tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo. Job 2. n. 11.* Quid agis Satana? hostis es, & amicos ejus convocas? Si ipsi veniunt amicum suum juvabunt? Indequ ipse amicorum turba munitus facili negotio te superabit? Quam vafer, quam astutus diabolus est? Jobi amicos auxiliares convocat; sciens nihil magis detrimento esse hominibus, quam ad auxilium creatum & adjuvamen respicere; Inde diabolus convocat amicos, ut constituta in eis spe, devictum justum putabat, & tunc Job maxime timere cepit hostis potestatem. D. Ambros. lib. de Interpellat. cap. 2. sic ait, *Cum Job videret amicos suos, advenit à damno datam adversario remandandi sui potestatem.* Quamvis Job solus erat hostilia conamina contemnebat. Cum autem se non solum, sed amicos cinctum cognovit, certamen cum hoste expavit, & in se adversario à Deo datam potestatem totus prælagit.

6. *Convenerunt Philistinorum in pugnam & egressus est Israel obviam Philistinorum in prælium, & castrametatus est juxta lapidem adjutorii. 1. Reg. 4. n. 1.* Quod inde factum sit, imo certamine verget Israel, & causa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor milia virorum. Quomodo Israel, qui toties victor evaserat, sic cadit in conspectu Philistinorum, *Castrametatus est juxta lapidem adjutorii.* Quamvis spem suam habuit Israel in Deum, victor efficitur, ac dum castra ponit juxta lapidem, in quo sperabat amicorum, ac sociorum adjutorium, statim victus corrui, ac prosternitur, ut innuit D. Greg. ibi. *Quia, ait, alium Christum expectare non desinunt, juxta adjutorii lapidem castra ponunt.*

7. *In hymnis & confessionibus benedicebant Domino.* Pro magna & tam gloriosa victoria, quam obtinuit Israel à suis inimicis, cum esset derelictus à suis vicinis ac amicis, pugnans contra Regem Antiochum congregato suo magno exercitu contra Israel, quem ipse Israel prostravit.

8. *Meus Jesus pendens in cruce, clamat voce magna. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Matth. 27. n. 46. Aëreas sanè potestates, ut à celo deturbarentur, Michael profilit, cum integro Angelorum exercitu; At ut Jesus destrueret tenebrarum regna, & aëreas mortis portas confringeret, ac ut mundi principatus interimeret, & ut caelestes reseraret portas, unus Jesus à suis, & à Patre ipso derelictus in arenam descendit. Pulchre Simon. Cassian. c. 57. in Matth. celebrat Christi triumphum his verbis. *Nullum fuit, ait, ab orbe gravius bellum quam in quo Christus captus est, nec ullus illustrius triumphavit, quam ubi ille derelictus solus, suos hostes prostravit.* Merito ponderat iste, illustrissimum domini victoriam, ac virtutem in prosternendis inimicis, quando ipse solus quovis sensibili

auxilio

Summa Concionum.

auxilio destitutus, relictusque à discipulis, ab Angelis, & à Patre etiam quodammodo quoad speciem, hostiam turmas fugavit, & caeli clausura referavit.

9. Magnus ille Samson Israelis dux, Philistinorum terror, & ruina valde gloriose hostes suos prostravit. Is captus cum esset, & medius inter hostes, mille pariebatur ludibria amplexatus columnas. *Jud. 16. n. 27.* perditurus hostes aiebat apud Ambr. Epist. 70. *Moriatur anima mea cum Philistinorum, ut cognosceant infirmitatem meam, non minus, quam virtutem fuisse exitialem.* O gloriosum, & præclarum trophæum, Samson captus, infirmus, & à suis derelictus, hostes suos perdidit, ac in totalem desolationem dedit. Non minus ejus infirmitas, ac virtus; nec minus ipse à suis derelictus ac stipatus, sui roboris monumenta dedit.

10. *Qui magna fecit in Israel & victoriam dedit illis.* Ad cujus victoriae consequentiam, magnos & fortes milites dedit Israel, qui multo amore, ac benevolentia pro patria decertarent. Multum interest in bello miles veteranus, & fortis, sed multo magis ille, qui amore, ac benevolentia pugnat.

11. Cum audisset Abrahamus consobrinum suum Loth captum; & quamvis ab illo non esset leniter offensus; nihilominus exiit in vindictam. *Et numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos, Gen. 14. n. 14.* & quomodo cum tam exigua manu adversus quinque potentissimos reges cum valde copioso exercitu processit; unde illi virtus, & audacia? Amoris sanè incendio inflammatus, belli pericula non curabat. Unde ait D. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 3. *Sic anabat, n. potest, ut pro cunctis belli declinaret periculum.*

12. Cur tamen obsecro, & maxime ad rem præentem, vernaculos servos, & non potius veteranos milites, multa dexteritate pollentes & variis partibus convocavit? Bene noverat vir Magnus Abrahamus, quod plus valent milites amore, quam rebore, ac experientia armati ad bellum feliciter gerendum. Amore nil fortius, ejus enim vehementer omne robur, ac potentia cedit. Inde Abrahamus ad tanti belli curam, non alios querit, nisi tantum vernaculos, ac servos domus suæ qui amore stimulati, pro gloria Domini sui, ac pro libertate Loth, cum quo erant educati, feliciter pugnarent. Optime D. Chrysof. homil. 31. in Gen. *Assumpsit, ait, vernaculos, & qui cum Loth educati erant, ut ultionem spem, & benevole facerent, utpote servi pro Domino certantes, ut quem admodum dux, ita & milites, non furore, sed amore ad bellum incendierunt.* Expende ultima verba, *non furore sed amore.*

13. Quod confirmatur, quænam causa fuit, cur Abrahamus pro labore suo à Rege Sodomorum nullum præmium accipere voluit, nec aliquod de spoliis tam sibi, quam suis decrevit assumere. *Non accipiam, ait, ex omnibus, quæ tua sunt. Gen. 14. n. 28.* D. Chrysof. ibid. *Quasi diceret, ait, neque enim mercedis gratia vinculum feci, sed primum ob amoris affectum, quem ex fratre mei situm vero: deinde propter ipsum iustitiam offitium, ut è barbarorum manibus eriperem iniuste ab ipsis.*

14. *In hymnis, & confessionibus.* Valde semper sollempne fuit adepram victoriam hymnis, canticis, ac multis festivitatibus signis celebrare. Sic submerso Pharaone, cum suo exercitu, *Moses & filii Israel carmen Domino cecinerunt. Exod. 15. n. 20.* Prosecuta sunt mulieres cum tympanis & choris. *Ibi. n. 20.* Sic & cecinerunt Debora, & Barac. *Judic. 5. n. 1.* Sic interfecto Golia mulieres Israel tympanis, multa cum læticia ducentes choros canebant. *Percessit Saul mille, & David decem millia. 1. Reg. 18. n. 7.* Sic & David pro victoria adepra ex suis inimicis multos Psalmos composuit. *Diligam te Domine fortitudo mea. Psal. 17.* & alios sic & Machabæi adverso opprobrio gentium facta est læticia in populo magna valde. *Mac. 1. c. 4. n. 58.* Nam ut reddere ait Salvian. lib. 2. de Provid. *Natura dilante insitum est pro adepra victoria latari & exultare.* Ut Isaias magnam gentium læticiam denotaret in Christi adventu c. 9. n. 3. *ait Latrabuntur coram te sicut qui latantur in messe; sicut exultant victores capta præda quando dividunt spolia.* In messe latantur homines, ac in victoria exultant. *exultare, est supra modum lætari; nam exultare, ut restantur Thesaurus linguæ latinæ, & Calepinus, idem est, ac animi læticiam saltibus ac motibus corporis ostendere, quo significatur tanta læticia, quæ non potest animo cohiberi; sed exterius per signa prodit.*

CONCIO XVII.

Pro magno, & ingenti aliquo beneficio.

T H E M A.

*M*isericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Thren. 3. n. 22.

1. Exclamans admiratur Propheta ingentem Dei bonitatem ac pietatem, siquidem à tot calamitatibus, oppressionibus irruentibus, ipse Propheta ac populus ejus Dei gratia sunt liberati; nam veluti Daniel erat à leonibus circumdatus; à quibus Dei gratia illatus exivit: Sic illi à tot malis tanquam à leonibus circumdati Dei pietate custodiuntur, & salvi fiunt.

2. *Misericordia Domini quia non sumus consumpti.* Non unam misericordiam dicit in singulari, sed misericordias in plurali. In hoc maxime visitur multitudo misericordiarum Dei, quod undique irruentibus malis, quod homo non obruatur, sed salvus & custoditus sit.

3. Mortuo Joseph maxime creverunt filii Israel, ut à Deo dignarentur visitari, ut refertur. *Exod. 1. n. 6.* *Joseph autem in Egypto erat, quo mortuo, & universis fratribus ejus, omnique cognatione sua filii Israel creverunt, & quasi geminantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram.* Quæ verba expendit Origen. hom. 1. in Exod. & ait. *Donec viveret Joseph, non refertur, quod multiplicati fuerint filii Israel, nec aliquid omnino in his de augmentis, & numerositate memoratur.* Sicut etiam vivente Joseph non dicuntur visitari à Domino, nisi tantum post mortem ejus. *Exod. 3. n. 16.* sic ait. *Moyles ad populum, Dei nomine. Visitavi vos, ut notat ibi Lippoman. Visitavi vos, & ascendere faciam de afflictione*

Summa Concionum.

- Ægypti.* Cur dum viveret Joseph numerositas, potentia, ac visitatio gentis Isaaciticæ facta à Deo non refertur: quia vivente Joseph, & in Ægypto feliciter imperante, tuto vitam agebant Hebræi, ac verò à tanta tutela orbari miserè lateris, & luti servituti mancipabantur, & undique sub duro flagello ab his, qui præerant operibus, affligebantur, ita ut nullus esset levaminis, & respirationis locus; sed undique premebatur, ac si una fornace ardenti detinerentur. Deut. 4. n. 20. *Vos Dominus eduxit de fornace ferrea Ægypti.* Cum ergo undique in ultima miseriarum periodo essent, non sunt consumpti, sed in copiosam, ac amplam multitudinem creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt. Et nunc Dominus in multa miseratione visitat, educens de fornace illa ferrea in terram fluentem lac, & mel.
4. Cum Saül copioso exercitu prosequeretur Davidem, ac inter angustias cujusdam montis eum circumseptum teneret, nam à militibus Saül undique cingebatur. Unde David desperabat se posse evadere à facie Saül. 1. Reg. 23. num. 26. Tunc subdit Text. *Numinus venit ad Saül dicens: festina & veni, quoniam insuderunt se Philistinum super terram, reversus est ergo Saül desisteret persequi David, &c.* Nil ardentius, ac vehementius Saül exoptabat quam Davidem capere, ac manibus tenere, adest opportuna occasio, ut nullus sit Davidi locus evadendi; quomodo ergo sic urgetur Saül à nuntio illo, nec per breves, & paucos dies immoretur, ad hoc ut desideratum inimicum manibus teneat, & apprehendat. *Miserationes ejus non defecerunt.* Quando David consideratione omni humano auxilio desperabat se posse evadere à facie Saül, & se existimabat ab illo detentum, ac consumptum, manus Dei miserantis, modum invenit, ut Saül illico, & sine mora compulsus esset recedere, & David absque aliquo nocimento evaderet Abiesi Ibid. q. 32. *Veni nuntius, ait, ex parte Dei, quia Deus volebat erueri David de manu Saül.* Unde aliqui dicunt, quod ille nuntius erat Angelus ex parte Dei. Vide c. 1. q. 15. n. 41. & 42.
5. *Miserationes ejus non defecerunt.* Hæc est summa Dei benignitas, ac pietas, quod ex ipso miseriarum profundo, motivum eliciat, ut indulgeat, ac subveniat, ipsamet miseria misericordiam Dei advocat, ac sollicitat.
6. Prodigus ille filius postquam substantiam suam dissipaverat, factus egenus & pannosus, porcorum custos cupiebat saturari de siliquis, & nemo illi dabat. Quid tunc ait D. Lucas cap. 15. n. 17. *In se autem reversus dixit. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame perdo. Surgam, ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me, sicut unum de mercenariis tuis: & surgens venit ad Patrem suum, cum autem adhuc longe esset, vidit illum Pater in suis, & misericordia motus occurrit ei.* Expende, ut in se reversus cogitabat ad Patrem ire, multaque dicere parabat: At dum ad Patrem properat, nec ullum verbum ab eo audit Patrem; sed ut primò vidit illum, antequam aliquid loquatur, jam misertus occurrit illi; & cur Patrem, non magis expectat filii verba? Cur non se cohibet Pater usque dum filius accedat, & loquatur? Summa filii miseria; erat nempe, omnibus spoliatus, denudatus, sine veste, sine calceis, discooperto capite, macilentus & lurida facie, ac fame tabescente, maxime Patris misericordiam sollicitarunt, ante omnes preces, lachrymas ac gemitus. Ille summus luctus in tanto squalore, fecit sentit à Patre desiderium ac animum filii, ut indulgentiam foveretur, D. Chryl. apud Catenam D. Thomæ. *Sensit autem Pater poenitentiam, non expectat, ut recipere confessionis verba, sed prævenit miser cordi. Ille summus luctus summam animi angustiam ac dolorem indicabat.*
7. Hæc miserorum recordatio solum apud Deum habet locum, non verò apud mundiales Principes, quod optimè noverat Aulicus ille Princeps Jonathas, qui cum suam à regno dejectionem præsentaret, dicebat regnato Davidi. 1. Reg. 20. n. 14. *Sit Deus tecum sicut fueris cum Patre meo. Et si videro facies mihi misericordiam Domini.* Non perit à Davide misericordiam suam, sed misericordiam Domini; Et cur non magis dicit, facies mihi misericordiam tuam; sed misericordiam Domini? loquebatur cum Davide ascendente ad thronum regium respectu hominis dejecti, & spoliati: in regis autem aulicis nulla est recordatio miserorum, & ideo sapienter non petit regis misericordiam, sed Dei, cujus oculi in pauperem respiciunt. Psal. 10. & non est oblitus clamorem pauperum. Psal. 9.
8. Latro ille suffixus cruci, videns Jesum euntem in cæleste regnum ait illi: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. num. 42. Unde vilissimus latro in supplicio constitutus audeat à Rege petere, quod cum sederet in regno majestatis suæ illius recordetur, & mentionem habeat? Unde tanta audacia in homine miserabili, ac vili? Noverat Jesum non mundialem Regem, sed cælestem, non in temporalis, sed in æterna sede sessurum: & ideo sui memoriam ab illo sperat, quam minime speraret à mundiali Principe. Euthym. *Memento mei Domine, ait, cum veneris in regnum tuum. Quod supra mandatum est: nam verisimile est, cum quoque audisset de sermone, quem ad Pilatum dixerat, regnum meum non est de hoc mundo. Ex eo quod noverat Jesu regnum non esse de hoc mundo, audeat sperare ab illo sui memoriam, sciens quod non in mundiali aula, sed in cælesti miserorum memoria habeatur. Vid. c. 2. q. 46. n. 339. 340. 341. & 342.*
9. *Miserationes ejus non defecerunt.* Multa in nos irruerunt mala quæ nos opprimere volebant, sed in finita dei bonitas, ex tot malis bonum suæ pietatis elicit, & medicinam de veneno paravit, cum in miserationes ejus nunquam defecerint.
10. Cum Isaac ita à serpentibus percussus caderent. Numer. 21. num. 9. *Fecit Moyses serpentem æreum, & posuit eum pro signo, quem cum percussus assiderent sanabantur.* Serpens erigitur, qui serpentium fugaret venenum, qui mortem causabat, sic ordinatur, ut vitam causet, dicit enim Prudent in Enchirid.
- Sed prævens ore palinura dux cruce suspendis, quæ*

Summa Concionum.

qui virus temperet anguem. Proindeque de ipso veneni fonte, fecit Deus medicinam parari; ejus enim est in ipsis malorum visceribus, vitam & salutem consistere.

11. Locutus de dei potentia David fatetur. Psal. 134. n. 7. *Fulgura in pluviam fecit.* Pluviam ait fecit de ardentibus fulminibus manare. Simile fecerat deus daniel. 3. num. 50. *Medium fornacis, quasi unum rotis flammam.* de visceribus nempe ignis rotem saluterem extraxerat: modò quid majus à deo dicitur factum, nimirum de fulminibus pluviam fecit. Quibus arva vivificantur, & segetes fructificant; sic enim fecit ardentissima fulmina, & frigidissima aquas simul concurrere, ut de contrariis vitibus salus & vita animalium nascatur. quod miratur D. Ennodius lib. 5. Epist. 8. & sic canit.

Hæc pyra guribus, scintillis fluctuat humori Vivitur alterna mortis amicitia.

12. *Et miser ationes ejus non defecerunt.* Cum ergo hæc miseratione omnipotentis dei in tanto hoc beneficio sit ab ipso deo, erit firma, & stabilis, ejus gratia favente. Cum Esther. 15. n. 10. staret in præsentia Regis Assueri. *Regina corruit, & in pallorem colore mutato, super ancillam reclinavit caput.* At dum Judith, in conspectu Holofernis veniret; vidit Principem multis cinctum armis, & sic coram illis ejus pulchritudo floruit; ut ad invicem dicerent, c. 11. n. 19. *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* Utraque femina erat, utraque pulchritudinis arma parat adversus Israël hostem. Judithæ autem venienti in conspectu Holofernis, non deficit pulchritudo, nec pallor ejus occupat genas, licet videret armatos hostes; Estheri autem, ut vidit Assuerum, deficit elegans color, & successit mortalis pallor, cum tamen Assuerus maritus esset; & Holofernes tyrannus truculentissimus. Cur ergo Estherem pulchritudo deserit, & non Juditham? Causa ex text. petenda est. Judith. 10. n. 4. *Cui Dominus contulit splendorem: quoniam ornans ista compositio non ex libidine, sed ex virtute penitentiæ: & Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit.* Non de Esthere, sed de Judith dicitur, quod in tanto discrimine, dominus ei dedit pulchritudinem; non ergo mirum, quod pulchritudo Estheri deficiat, non verò Judith; dona enim, quæ à deo veniunt, firma & perfecta sunt, in nullo discrimine deficient, sed semper perseverant.

CONCIO XVIII.

Pro salute Regis morbo laborantis.

T H E M A.

Deu, Canticum novum cantabo tibi: In Psalterio, & dec. chordo psallam tibi: qui das salutem Regibus. Psal. 143. n. 9. & 10. Ex singulari, ac magno quodam affectu proponit David promissum de eximio & insolito Cantico. Et ait *Deus Canticum novum cantabo tibi*; id est longam & largam orationem, quæ est suavissimum Canticum deo, &

qualiter hæc oratio sit facienda, statim explicat, *novum.* Hoc est ut explicat D. Chrylost. D. August. Euthym. Nost. Incognitus Canticum nempe novi hominis renovati per gratiam, & fidem, & ait *Cantabo tibi.* Et non alteri, sed tantum tibi, in quo est tota mea spes & à quo solum aliquid petendum est.

2. *In psalterio dec. chordo psallam tibi.* Caiet. in viola denaria. Cassiodor. in *Psalterio decem chordarum.* Hoc est ut explicat D. August. Eugubinus, incognitus in operibus legis, quæ continentur in decem præceptis.

3. *Qui das salutem Regibus.* Lotin. Ecce proponitur causa ob quam hujusmodi Canticum novum seu talis oratio adhibito simul instrumento musico sit deo facienda, quia seu & idem valet, ac *Ps* ut sæpè legitur. *Das salutem Regibus.* Ergo deus maxime exorandus est pro Regis salute, ut ait Albert. Mag. quæ facienda est, tam in prosperis, quam in adversis, hoc est tam in ejus incolumitate, quam in infirmitate.

4. Permittit deus sæpè, ut bonus Rex aliquando gravi morbo laboret, ne ejus salute totum regnum se existimet securum, & ab omni periculo alienum. Infelix est enim res publica, & maxime ruinæ proxima, quæ absque ullo timore, ac tremore degit. Timendum est enim periculum, vel etiam aura favente, ut cum diligentia cautela malum imminens evitetur.

5. Proficiscitur Jacob in Ægyptum, ubi filius suus Joseph dominabatur. In itinere apparet illi deus dicens. *Ego sum fortissimus Deus Patris tui: Noli timere descendere in Ægyptum.* Genes. 46. n. 3. Cur domine modo tam aperte Jacobum corroboret, ab ejusque animo timorem expellis? Et non potius ad pedem scææ, quando à facie Esau fugiebat. Genes. 28. num. 13. vel quando ab avunculo suo Laban prosequeretur. Genes. 32. n. 29. & tunc in utroque casu, nocte, ac tanquam per somnia ei apparet. At verò modò cum ad filium dominatorem Ægypti, tendit, tam aperte tantas vires, ac animos ingerit: nam cum Jacob fugeret à facie Esau, ac Laban ob imminens periculum, cum multa cautela se habebat, & inde securus vivebat; At in Ægypto ob affluentem felicitatem, multa securitas, ac confidentia ei offerebatur, proindeque cælestis favor, ac benignitas multum ei necessaria, ne adversam fortunam experiat. Vide c. 2. q. 37. n. 272. & q. 60. n. 458.

6. *Qui das salutem Regibus.* Largam, & magnam orationem ex omni circumstantia promittit David, ut jam explicavi: ad hoc ut deus Regibus de salutem quæ ob multiplicem rationem petenda est à deo.

7. Et primò: quia bonus Rex sæpè morbo laborat ob vigilias, ac curam, quam super suos subditos habet: Quod notavit Theodoret. serm. 7. de Provid. dei, ubi expendit aequalitatem divinam in distributione temporalium bonorum, & sic ait. *Quando quidem peccati necessitas in hierusalem, & servilem conditionem humanum genus diversit. Illis quidem cum imperio curas quoque conjunxit, & vigiliarum molestias tradidit: & morbos in illos plures effudit: his vero, scilicet servis, Corporum præstantiorem valetudinem, & suaviorem tibi esum,*